

96 7 792



108

NC

AVS

D M

ME

P

VMM



40 89 609 3

106

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

DE

HYDROPE NON SEMPER MEDICORVM SCANDALO

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO ET CONSENSV AC AVCTORITATE
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXPERIENTISSIMO EXCELLENTISSIMO

DN. JOANNE JVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMOVE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO, ORPHANOTROPHEI HALENSIS
ET PAEDAGOGH REGII PRACTICO
DECANO H. T. SPECTATISSIMO

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO AETERNVM
DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

IVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CAPESSENDIS

AD D. NOVEMBR. A. S. R. MDCCXLVI.

H. L. Q. C.

PVBLICO ET PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR

FRIDERICVS AVGVSTVS GIESSCKE

HALENSIS MAGDEBVRGICVS.

Libr. XXVIII / 4622

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

Jüncker



2



96 J 792

AV

BRITISH MUSEUM LIBRARY

HYDROPHOBIA

NON SEMPER SCANDIT

PRÆSIDI

ON JOHANNES

PRO GRADU

VELOCITATE

VELOCITATE

VELOCITATE

VELOCITATE

VELOCITATE

VELOCITATE

VELOCITATE





PROOEMIUM.



onus auribus gravis: *Scandala Medicorum.* Et non nudius tertius hæc auribus sedent. Insonuere antiquitus scandala illa medicorum. Eo magis autem ea vulneratis accipiunt auribus medici, cum & sciola plebs, & alii, imo prudentiores exinde toti arti medicæ male loquantur. Et sic pro scandalis illis medicorum tota medica ars crimina fert; ad minimum ad casum illam revocando, totam illam conjecturam faciunt. Habuit ars medica ab omni ævo suos osiores. Vnum HOMERVS invenit ZOILVM obtrectatorem, qui HOMERO-MASTIX vocatur: quam multos vero *Medico-Mastiges*, quam multos PLINIOS, MICHAELIS DE MONTAGNE, TIRAQUELLOS, ACCVRSIOS, NOVI-

ZANIOS adhuc hodie vidit orbis medicus. Quam acerbe canit Poeta CROPACIVS:

*Si Medici flerent, quos dimisere sub orcum
Angerent lacrymis flumina queque suis.*

HIPPOCRATES iam dicit: *Ars tota magnam apud vulgus calumniam sustinet, adeo ut nullam omnino medicinam esse existiment, libr. de vict. rat.* Et nonne contemptus artis efficaciam ipsi quoque suffurari videntur? *Conf. GORIS de medicina contempta.* Quod durum fatum experta est quondam apud Romanos ars divina S^Cto damnata. Largiuntur omnes, quod medici interdum scienda nesciant; & quod secundum *Legum Doctores* imperitia culpa annumeretur, *Lex. illicitas 6. & Lex. si servus 27. §. si calicem.* licet non plectantur poena *Legis Cornel. de sicar.* cum dolo non occidant, sed poena arbitraria: *attamen nihil tam manifeste utilitatis inveniri potest, quod in contrarium non transferat culpa, Sen. L. 5. de Nar.* Quam nefas autem est, nonnullorum artem profitentium culpam, arti ipsi imputare velle; quam nefas est, ob morbos quosdam insuperabiles totius artis dignitatem minuire. Cum vero *inter scandala medicorum hydrops* praesertim locum suum invenerit, & inveniatur, dignam hancce materiam judicavi, quam speciminis loco pertractarem, quod *hydrops non semper sit medicorum scandalum.* Faueat Summus Archiater conatibus, ut omnia cedant feliciter.

§. I.

Scandalum est vox, quæ græcæ linguæ suam debet originem, in qua audit *σκανδαλον*. Tantum vulgata Bibliorum Versio, Sancti Patres, Jus Canonicum, præterea alii Scriptores Ecclesiastici eadem utuntur; & criticis iudicibus, ad elegantiam latinæ linguæ non transferenda est. Describitur autem scandalum a TERTULLIANO *de virgin. veland. cap. 3. ita: Scandalum non bonæ rei, sed male exemplum est, edificans ad delictum.* Nunc censu medico scandala medicorum nihil aliud sunt, quam *illa ignominia in medicos redundans, si aut certis phenomenon scientiæ medicæ explicandis, extricandis, aut certis quibusdam morbis curandis, vincendis impares existunt.*

§. II.

Ex hac definitione patet, quod dentur scandala medicorum in *scientiis* medicinæ *theoreticis* æque ac *practicis*.

§. III.

Inter scandala medicorum *theoretica* referuntur *mysteria illa medica*, quæ ab omni ævo vel divinatorum ingeniorum *ἀντιστεσεν* illuserunt, ut sunt *commercium animæ cum corpore*, ad quod explicandum systemata illa, ut *systema ARISTOTELICVM influxus physici*, *CARTESIANVM causarum occasionalium*, & *LEIBNIZIO-WOLFIANVM harmoniæ præstabilitæ* inventa fuere; quartum interveniens est *psychologismus medicus*, s. *organismus*. Deinde totum *generationis negotium*. Quam multa in illo *δυναμικὰ* admirantur

rantur medici, non eruunt; nec non *secretionum modus*. Quam mire se torfere in illo explicando ingenia; sed ubi pedem figant, tandem nesciunt. Et quis horum scandalorum numero eximat *usum partium cerebri specialissimum*. Certe! cruentatæ Anatomicorum manus ne fibrillulam totius encephali intactam reliquerunt, quam non vel oculo non armato, vel microscopis auxiliis armato demonstrare soleant. Sed eheu! si ad functionem & usum omnium cerebri partium deveniunt, licet hi Philosophi per cultrum omnes nervos, quos in cadaveribus millies denudant scia manu, intendant, non aliter se gerunt, ac si cum EVANDRI matre loquerentur. Numerum horum scandalorum adhuc augeat *navorum maternorum genesi*, incognita *hereditariae dispositionis ratio*, *mala fetuum conformationes*, *idiosyncrasie individuales*, & alia. Sed abstineo manus ab ulteriori illorum recensione, ob tædium mentis, quæ hæc nescire erubescit.

§. IV.

Sed aures Medicorum adhuc vellicant scandala medicorum in *praxi medica* obvia. Hæc sunt v. g. nodosa illa *podagra*, quæ regum palatia, divitum domus, litteratorum musea inhabitat, mensis sybariticis accumbit, otio diffluentibus comes hæret, nidumque migrare nescit.

Tollere nodosam nescit medicina podagram. OVIDIVS. *Quartana*. Hanc nomine scandali medicorum bis insignivit B. Fr. Hoffm. *Med. Syst. T. III. p. 405. & T. IV. P. I. p. 58. Veræ paralyse* in senioribus. *Hæctica*,
 terri-

terriculamentum illud pulmonum edax, cui curandæ, si confirmata, nil sufficit; de qua Ill. PRÆS. adfirmat: *Veram, & confirmatam hecticam curare velle, frustaneum est: læsio enim visceris ulcerosa, cui abstergenda febris hectica perpetuo opponitur; in integrum restitui non potest, quod contra vanas pollicitationes probe observandum, Consp. Pract. Tab. LXX.* In chirurgia cancer, hæmorrhagiæ incompehensibiles, ulcera cacœthica, cancroidea, sphacelus, &c.

§. V.

Inter hæc medicorum scandala eminent *hydrops*. Antiquitus jam homines hydropi notam scandali medicorum inusserunt, & ad hunc usque diem fortem non meliorem nactus est.

§. VI.

Sed quidam etiam morbi *perverse inter scandala medicorum* referuntur, quod fit, si *refractorii*, rebelles, pertinacia alios morbos superantes, chronici, chronicotati, desperati, ubi spes pauca, pericula multa, *cum incurabilibus*, & sic dictis medicorum scandalis perperam confunduntur. Morbi pertinaces id indolis omnino sunt, ut *expectationem, non quidem otiosam, neque tamen intempestivis negotiis occupatam* exposcant, uti monet Ill. PRÆS. *Consp. Pract. Tab. LXXI.* propterea tamen morbi, qui difficilem & tardam admittunt curationem, non incurabilium numero cum popello ignorante adscribendi sunt. Sæpe, ait CELSVS, *pertinacia juvenis malum corporis vincit.* Huic confusio interdum vel culpa medentium, vel ægrorum

rum ansam præbet. Datur interdum inter Medicos SESCIVLYSSES quidam, qui morbi sanationem simulat aut diffimulat, ut plus laudis, vel lucri extorqueat, non salutem, sed pecuniam ægri quærens; aut medici inscitia, aut methodo contraria, turbulenta, præcipite morbum reddunt contumaciorem. Quod ad ægros attinet, mora præsidii morbum magis refractarium reddunt, & tunc medico negotium facessat, & ægri patientiam exposcit, sed salutis spem minime aufert. Vel se committunt ausibus Empiricorum; hinc facile fit, ut præpostera medendi methodo morbus tractabilior præfractior, facile sanabilis insanabilior reddatur, aut in alium morbum pejorem, & priori contumaciorem transeat; vel quam multos in seipsis curandis videmus SVFFENOS, qui in remedia sic dicta domestica involant, quibus perverse usi morbus succrescit, & rebellis, & chronicus evadit. Et tunc non desunt, qui in perversa judicia prona, ejusmodi morbos ob imperitiam, aut præcipitantiam, aut malitiam, pro morbis incurabilibus habent.

§. VII.

Vt vero clarius pateat, quo jure, quoque respectu *hydrops scandalum medicorum* esse, & quo respectu illorum catalogo expungi possit, quædam ex *pathologia hydropis* præmonenda veniunt.

§. VIII.

Hydrops est tumor plus minus universi corporis, pallidus, & tactui frigidus, vitio lymphæ & vasorum illius repurgationi inservientium, subnatus. Ill. PRÆS. Consp. Pract. Tab. LXXXVIII.

§. IX.

§. IX.

Cum hydrops vel universum corpus, vel partem corporis occupet, *variae hydropum species* enascuntur.

§. X.

Sic enim secundum Pathologos hydrops vel *universalis* est, vel *particularis*.

§. XI.

Hydropis universalis species constituuntur tres, ut *anasarca*, quæ tamen inter morbos rarissimos legitur; hæc toto corpore diffusa est, quare totum corpus œdematosum adparet. *Ascites*, totum abdomen & pedes occupat. Tandem *tympanites* est, ubi abdomen tympani instar expansum; præterea hicce tumor sonitum fere tympani instar edit, magisque halituosus, quam aquosus est.

§. XII.

Particularis hydropis species variæ sunt, ut *hydrops capitis*, s. *hydrocephalus*, quo infantes etiam in utero interdum laborant, ita, ut ejusmodi infantes hydrocephalici dystocian efficiant; *hydrops pectoris*, *omenti*, *ovariorum muliebris*, *hydrocele*, s. *hydrops scroti*; porro *hydrops lentis crystallinae*, *tunicæ retinæ*, &c.

§. XIII.

Cum tam variæ dentur hydropum species, quæstio oritur, de *quam hydropis specie* nobis hic sermo sit, & de qua valeat, quod non semper fit medicorum scandalum.

B

§. XIV.

§. XIV.

Secundum loquendi modum, Pathologis & Practicis usitatum, *hydrops universalis* nōr' ἐξοχῶν quasi *hydrops* vocatur, & sub *hydropicis* absolute sic dictis intelliguntur, qui *hydrope universali* laborant. Cum præterea *hydrops* fit vel *humorum*, qui etiam *hydrops intercus* audit, vel *viscerum*, in quo viscera jam labe adfecta sunt. Hinc in præsentī tractatione pro objecto habemus *hydropem humorum*, de quo *probare a-nitemur, quod non semper sit medicorum scandalum.*

§. XV.

Sicuti *hydropis cause* perquam variæ sunt: ita in ordine causandi commemorandum, quod *hydrops* ortum suum mutuet vel a *vitiis humorum*, progrediendo ad *organorum corruptionem* vel in vicem versam a *vitiis organorum* progrediendo ad *humorum vitiosas qualitates.*

§. XVI.

Progredimur ad *hydropem a vitiis humorum ortum capientem.* Et cum morborum *cause* vel *proxime* sint, vel *remote*, hinc *causam hydropis humorum proximam* perlostrabimus. Proxima est *abundantia & restagnatio sanguinis in visceribus, & præcipue in V. P. & connexis vasibus.* Humor ille vitalis, sanguis, diversis conflatur principiis inter se invicem distinctissimis, ut terrestribus, aqueis, oleosis. Hæc principia inter se certa proportione mixta sunt. Ut autem hæc sanguinis principia, arctius non cohærentia, in mixtione conferventur, motum summus rerum

rerum Arbitrator in solidis vigentem constituit; cujus beneficio & motus progressivus, & intestinalis, & exinde nascens mixtionis conservatio, iuxta sanguinis crassam, nec non inde pendens illius jugis depuratio obtinetur. Perquam variis autem modis sanguis a statu suo naturali deflectit, e. g. in mixtione, principiorum proportione, consistencia, ita ut fere tot diversi sanguinis peccantis modi sint, quot sunt morbi, uti etiam in sanguine hydropicorum videre licet. Abundante sanguine & solida & fluida præternaturalem patiuntur mutationem. Natura enim ministerio solidorum utitur, in fluida agendi. Hæc actio secundum leges microcosmicas absolvitur motu tonico, aut certis potentiis motricibus massæ movendorum respondentibus, quibus omnem movendorum massam in circulum agit. Cum vero sub abundantia sanguinis, moles illius plus justo nimia huncce solidorum motum superet, hinc ob æquilibrium sublaturum, debilitatur; illo debilitato motus progressivus, & circulatorius humorum motus operosus, lentus, tardus redditur, ita ut sub illo ea principia sanguinis, quæ illi laxius inhærent, unione secedant, ut sunt lymphæ, serum. Hoc serum excrementitium cum lymphæ nexu sanguinis solutum, mora spissitudinem lentam, vappidam, mucidam contrahit. Hæc vitiosa lymphæ, seu minus permeabilis, & angustissimæ vasculorum, præsertim tubulorum capillariorum, diametro haud respondens, largam stagnationem, itasum, obstructionum segetem in humorum coloratorum & emunctoriis præbet, ita ut

illa ulterioribus adolefcens gressibus, tandem totum humorum seroso-lymphaticorum rivulum spiffitudine sua inficiat; sic etiam fit, ut in trunco lymphatico, qui in ductu thoracico incipiens, usque ad inguinum regionem pergit, ibique in crurales ramulos sese dispergit, lymphæ, e pedibus, cruribus, pudendis, reducis, irus, reditusque vel difficilior reddatur, vel intercipiatur, ita ut illa in vasis sibi propriis conclusa, ea infarciat, distendat, & pedibus, cruribus, femoribus intumescenciam œdematosam inducat; imo, ejusmodi stagnatorius infarctus postea cutim, tanquam latissime patens colatorium seroso-lymphaticum, in tumorem hydropi consuetum attollit. Sub hoc statu tota sanguinis massa vitiosa redditur. Sic enim sanguis hydropicorum male mixtus, spiffus, niger, nimis serosus, limosus, pituitosus, viscidus est, multas præterea particulas falso-acres in complexu suo fovens.

§. XVII.

In censum *externarum, adventitiarum, occasionalium, remotarum & remotiorum* variæ etiam causæ veniunt, ut sunt ex Pathologis fatis notæ, v. g. commoratio in conclavibus subterraneis, ubi aer vappidus, humidus regnat; vita omnis motus expers, cui præterea diæta plena, lauta, opipara adsocia; abusus liquorum spirituosorum, ardentium, si frequenter, & copia plus justo majori ingerantur; morborum exanthematicorum retrocessiones; porro scabiei, podagræ, arthritidis, erysipelatis, œdematum retropulsiones; excre-

excretionum sanguinearum consuetarum anomalia, vel suppressio, quæ sub larva mox vomitus cruenti, &c. sic etiam hydropis adparent, ut sunt præsertim mensium, hæmorrhoidum; enormes sanguinis profusiones, intempestivus acidularum, thermarum usus; adhuc porro morbi prægressi perverse tractati, præsertim febres intempestive præfocatae, ut quartana, &c. haustus aquæ intense frigidæ in corpus calefactum & sudore diffluens ingestum, &c. quippe quæ omnia prædicto modo lymphæ & sanguinis vitia inferre, & dirum hunc morbum prognerare valent.

§. XIIX.

Hic *hydrops humorum* tandem transit in *hydropem viscerum*, sive *organorum*. Hæc humorum, præsertim lymphæ depravatio, §. XVI. in peiora ruit. Mora enim magis, magisque corrumpuntur, acescunt, acres fiunt, stamina solidorum tenella destruunt, & id genus alia. Et sic grassantur tandem in viscera. Exemplo sit hepar, cuius, per status naturalis rationem, tardior sanguinis circulatio potentissima hydropis causa existit. Circulatione enim per hoc viscus impedita, V. P. rami inferiores etiam adficiuntur, ob motum sanguinis ex hoc viscere ad illius ramos retrogradum, hinc vasa pancreatis, glandularum pancreatis, lienis, mesenterii, & glandularum mesenterii tumida, dura, scirrhusa redduntur, oculata sectionum fide id etiam edocente. *Vid. Misc. nat. Cur. Dec. III. An. 3. Obs. 161. Dec. II. An. 8. Obs. 100. River, Cent. II. Obs. 53. RVYSCH. Obs. 45. 46. taceo plures*

res casus ex BONETI *Sepulchreto*, in fidem huius rei adducendos. Et Illustr. PRAES. *Consp. Pr. Tab. LXXXIIX.* refert: *ordinarie*, in*quiens*, in *iunioribus hydropicis in globum quasi collectum, constrictum, & exarefactum, in aliis, presertim senioribus & aenosis, insigniter inflatum, & expansum deprehenditur.* Sub hoc statu in solidis adhuc hi humores continentur, & alveolis suis haud elabuntur. Sed plura manent ægros misellos symptomata, & graviora. Sub hac lymphæ spissitudine vasa lymphatica nimis infarciuntur, nimis infarta, ob lympham progredi nesciam, distenduntur, distenta tandem rupturas patiuntur, rupta deinde omnem in alveolis suis contentam lympham fundunt, evomunt, eructant in cavitates; sic effusa & cum aliis liquoribus mixta, itidena mora vel putrescit, vel purulenta, evadit, vel ichorosa, erodens, acris fit, & partes ambientes ambefas, lividas, sphacelosas reddit, *Observationibus medicopracticis* id confirmantibus.

§. XIX.

Sicuti vero hydrops initium saepe sumit a vitio humorum, progrediendo ad viscerum corruptionem: ita vice versa *initium saepe sumit a solidis lesis, & organorum lesione progrediendo ad humorum depravationem.* Agunt *solida in fluida*, ea movendo, & in motu determinando. Præterea quoduis organum suam habet actionem, functionem, cuius effectus in totius oeconomicæ animalis conservationem, sanitatem

rem & vitam redundant. Si vero illius functio læsa, & vitiosa, cessat non tantum illius in sanitatem usus, sed & contrarii effectus consequuntur in sanitatis subversionem vel mortem desinentes. Et quam multa mala ex solidis, præternaturaliter constitutis, redundant in fluida! Sub *motu* intenso, auctiori, velociori, accelerato, sanguis, sensu medico dulcis, blandus, temperatus, fit salus, acris, sulphureus, biliosus, imò tota humorum massa evadit vappida, in meras fere excrementitias partes fatiscens, ita ut corpus deinde facile cachexiæ, tumoribus œdematosi, viscerum scirrhis obnoxium reddatur. *Animi pathemata* maxima & quasi tyrannica potestate pollent, humorum eucrasiam pervertendi. Diurnus *mæror* solidorum robur limat, debilitat, spissescientiam humoribus inducit, ex qua deinde viscerum infarctus oriuntur, aliaque fecundo germine pullulant mala. Cum in *asthmate spasmodico* spasmi hepar etiam adficiant, tandem obstruitur, induratur, insequente diro hydrope; vel sub hoc asthmate summa vasorum pulmonalium angustia inducitur, sanguinisque progressus ex uno cordis thalamo ad alterum per pulmones inæqualis redditur, hinc ob remoras iniectas ad genus venosum regurgitat; & quia tunc sanguis ad arterias redux lentissime progreditur, latex serosus secedit, & hydropem producit. Sicuti vero ex nimio motu solidorum, sic æque ex illorum *atonia* multa scaturiunt mala. Vasculosa illa viscera, hepar & lien, atonia adfecta, sanguine inundantur, occalescunt, indurantur,

tur, & sic etiam motus lymphæ, quæ in vasis horum viscerum lymphaticis copiosissimis vehitur, intercipitur, restagnat, insequente hydrope. Huc spectant tandem *causæ violentæ externæ, luxationes, contusiones, conquassationes*, vel aliæ inflictæ *vulnerationes* organorum, quæ functionem harum partium lædunt; hac læsâ motus sanguinis per illas circulatorius turbatur, quo pro ratione læsionis, & læsarum partium, turbato, tam in ipsa parte, quam in connexis partibus, alii morbi, vel heteroclitici, imo interdum ferales effectus producuntur, quales casus apud *observatores* passim leguntur. *Conf. etiam BONETI sepulchr. Anatom.*

§. XX.

Accedimus ad *prognosin*, ceu fere primum præsentis tractationis momentum, qua duce definiendum, num hydrops huius vel illius subiecti incurabilem morborum numero adscribendus, an vero sanationem adhuc admittat, consequenter non semper medicorum scandalum audiat.

§. XXI.

Historiam medicinæ inspicientes haud fugit, medicinam sæpe ob illud vulgi, & aliorum præiudicium male audivisse, quod *Medici, & medicina tanta potestate non polleant, ut quemcunque morbum cito, incurde abigere valeant*, imo medicis succenseant, si non omnibus morbis vincendis, & tollendis suppare existant. Sed hoc nihil aliud est, quam, secundum

DIVI

DIVI COI iudicium *libr. de arte : artis facultatem ad eā, quæ artis non sunt, requirere.* Si ob morbi conditionem non omnia statim inconditis eorum desiderii respondeant, id non morbi malitiæ, sed vendibili fortan medici conscientiæ, dolosæ procrastinationi imputant. Itaque sæpe Medici HIPPOCRATIS sortem nanciscuntur: *Ego sane, inquentis, plus reprehensionis, quam honoris ex arte mihi consecutus videor.* Certum est, non omnia in artis, & medici potestate posita esse. Est minister naturæ; hæc viribus & motibus salutaribus instructa est, & sine ipsius sufficiente subsidio parum proficiet. Et quam multitudinantur casus, ubi omnis ipsius naturæ panoplia morbo persanando non sufficit. Recte idem gravis Autor: *Medicus eorum, qui a morbis victi sunt, curationem adgredi non debet, cum id in confesso sit, quod medicina tales servare non possit, Libr. de arte.*

§. XXII.

Hydrops itaque sanabilis est hydrops intercus sic vocatus, sive humorum, ubi humores tantum, salvis visceribus, depravati sunt. Et hoc in artis potestate positum est, humorum depravationes corrigere; & quam multa inter instrumenta medicata, ex omnibus tribus sic dictis regnis petita profant, quibus summa Dei providentia testæ nostræ fragili prospexit, & quibus etiam hic finis commode obtineri potest. Nec desunt Medicorum testimonia: *Vbi seri extravasatio, inquit B. Fr. HOFFMANNVS, in hydropē decumbentibus non præsto est, ibi etiam nondum spes salutis evanuit; Med. Syst. T. III. Sect. I. c. XVI. Et II. PRÆS. quando a vitio humorum inductus est,*

C

faci-

facilius adhuc restituitur: Consp. Pr. Tab. LXXXIIX.
 Et fere nubem exemplorum ex *obseruatoribus, exemplis spirantibus* non exclusis, de *hydrope*, si adhuc sanabilis fuit, *feliciter sanato*, allegare possemus, si illorum adpositio necessaria iudicaretur.

§. XXIII.

Omniem autem artis potestatem eludit *hydrops viscerum*, vbi nimirum *viscerum depravatio iam adest*. Sic enim in artis potestate haud est, nova generare viscera. Et præmortui fere pudoris quidam *PARACELSI* adseclæ non immerito creduntur, palingenesiam viscerum somniantes, & medicamina crepantes, quæ pulmones, hepar, renes regenerarent, etiamsi jam ad juglandis magnitudinem absumta forent.

§. XXIV.

Vt autem *eo certius prognosis formanda* sit, num *hydrops adhuc sanabilis, signa illa curatius dijudicanda, conferenda, quibus indicibus patet, illum adhuc sanationem admissurum esse.* In censum horum *signorum* veniunt sequentia: Si non cum aliis morbis complicatus, præsertim periculosis, aut eorum pedissequa, sed solitarius sit; si in primis initiis sit, & mora præfidii haud altiores radices egerit; si incidat in ætatem juniorem, & vegetam (sic enim ob favorem ætatis etiam citius extirpari potest) aut in subjectum antea sanum, vegetum; si adhuc lento gradu tumor procedat; si *urina tenuis & aquosa; si non adeo sensibilis est spirandi difficultas, tussis adhuc lenis; si desit inexplibile sitis desiderium, facies livida, flavescens; si æger remediorum usu adficiatur, dolorem, calorem, lassitu-*

lassitudinem haud sentiat; si dejectiones alvi aquosæ, constantibus sibi viribus.

§. XXV.

Et certe! hæc *prognosis*, hisce *signis superstructa*, haud *insuper* habeatur. Nam secundum hæc signa vanæ vel Medicorum, vel empiricorum pollicitationes dimetiuntur; deinde præservant conscientiosum medicum a prædictionibus dubiis, fallacibus, quibus & ægri salutis, & medici famæ male consulitur.

§. XXVI.

Si vero cum aliis morbis complicatus sit, v. g. cum asthma, quartana, scorbuto, cachexia; si adsint plenaria appetitus prostratio, virium lapsus, ardor internus, æstus inconsolabilis, sine quo non facile hydropicus moritur, inexplebile sitis desiderium, sudationis difficultas. urinæ paucæ, lixiviales, crassæ, tinctæ, suppressæ, perquam molesta spirandi difficultas, linguæ ariditas, superiorum contabescencia, facies livida, flavescens, œdematum retrocessio, ruptio, notabile tumoris incrementum; si superveniat febris, dolor, fumma lassitudo, tussis sicca, &c. tunc, certe! in busti limine æger constitutus est, & res conclamata.

§. XXVII.

Cum itaque in hydrope *humorum*, spes eluctandi adfulgeat, & medicorum scandalis eximendus, hinc ad *methodum medendi* nos accingimus. Hanc absolunt 1) *humorum correctio & excretio*, 2) *toni partium restitutio*.

§. XXIX.

Cum vero prælidia sanitatis restituendæ deprimantur vel ex *fonte chirurgico*, vel *pharmaceutico*, vel
C 2 *diete-*

dieterico; hinc medicamenta ex fonte *chirurgico* depromenda initium faciant.

§. XXIX.

Quod ad *fontem chirurgicum* attinet, certe! illo fere sanabili nostro hydrope carere possumus. *Venesectiones* improbantur. A *scarificationibus* nullum juvamen; nam superficiales tantum aquas, & parum evehunt; si vero profundiores sint, sphacelosæ corruptioni ansam præbere possunt. Inter reproba sunt *vesicatoria*. Cum enim hydropici sint cachectici, & aquæ intercutis particulæ falso-acres sint, hinc inflammationis, gangrænæ periculum esse potest. Eiusdem census sunt *setacea*, *fonticuli*; periculo enim non carent.

§. XXX.

Hinc ad *fontem pharmaceuticum* accedimus. Primum & primarium curationis momentum consistit in *correctione humorum*. Cum enim sanguis hydropicorum corruptus, vitiosus sit, & multis particulis falso-acribus, viscidis, pituitosis, serosis, limosis, glutinosis constet, lympham præterea mucido-viscidam in vasis suis lymphaticis alant, & hi humores vel ægre, ægerrime per vasa ferantur, vel in vasis impacti hæreant; hinc per corporis emunctoria, quæ natura iis exturbandis paravit, evacuandi non prius evacuari possunt, nisi fluxiles, mobiles, permeabiles redditi fuerint. Et sic merito correctio humorum primum in sanabili nostro hydrope sibi vindicant locum.

§. XXXI.

Subiecta itaque, quæ corrigendis humoribus inserviunt, sunt *radix ari*, *pimpin. albæ gentianæ rubræ*,
bele-

helenii; herba absinthii, centaurii minoris, fumaria, cardui benedicti. Ex *salibus* palmam omnibus disputant *salia* sic dicta *salsa*, sive *media*, & *alcalia fixiora*, ut sunt *tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, arcanum tartari, sal absinthii, centaurii minoris, cardui benedicti.* Ex *preparatis chymicis tinctura antimonii acris, tartarizata, essentia alexipharmaca STAHLII* cum *essentia succini* remixta. Hæc *salia media* & *alcalia fixiora* duplicem exerunt effectum: Primo enim *instrueta* sunt potentia incidendi, solvendi, colliquandi humores, deinde etiam lenem cient diuresin, hydropticis maxime utilem & necessariam. Huc spectant egregia illa *Extracta* gummatibus præstantiora, ut *Extr. rhubarb. fumar. cochlear. absinth. card. B. & alia.* Specialior methodus hæc esse potest. In usum vocentur 1) *pilule* resolventes & blande laxantes, 2) *salia* prædicta. Ex *pilulis* quam maxime accommodæ sunt, quæ per *epicrasin* operantur, ut sunt *pilulæ* ad exemplar BECCHERI concinnatæ, aut STAHLII. Vel si fortan harum *pilularum* non detur copia, *pilulæ* AVICENNÆ, in officinis nostratibus prostantes, sed cum dimidia parte *Extr. Rhubarb.* remixtæ, eundem præstant effectum. Hisce dein *pilulis* interponantur *pulveres ex dictis salibus compositi*, qui etiam cum *absorbente*, v. g. *magnesia alba*, maritari possunt, ita, ut si mane *pilule* fumantur, per diem *pulveris salini* vsus sæpius repetatur, & sic per aliquod tempus continuetur.

§. XXXII.

Si vero sub hac methodo morbus cedere renuat, ad feri redundantiam per congrua emunctoria expurgan-

gandam, ad paulo fortiora adicendere licet. Hæc inter sunt vel pilula dictæ cephalicæ, vel sequentes:

Rec. Extr. Hellebor. nigr.

G. Gutt.

Diagryd. Sulphurat.

Trochisc. Alhand.

Mercur. dulc.

Cinnab. aa. drachm. sem.

Sal. succin. gr. xii.

Aloes, drachm. sem.

M. F. pil. ex scrup. j. no. x. pro dosi.

Et cum egregium hydropis nostri curandi præsidium resideat in diureticis, hinc cum his pil. combinentur, quæ feri portionem per urinas evehunt, qua virtute splendent *Tinct. Antimon. acris*, vel *Tinct. Sal. Tartar.* cum calce viva parata, si anatica portione cum essentia succini misceatur, adjectis aliquot guttulis balsami destillati de Copaiva.

§. XXXIII.

Correctis sic & evacuatis humoribus, partes tono suo dejectæ roborentur, quod tonicorum usu perficitur. Huic scopo inserviunt imprimis martialia, quæ cum salibus digestivis combinari possunt. Porro huc spectant Essentiæ saturatæ, ut sunt scordii, ari, pimpinell. alb. cascarillæ, gentianæ rubræ, centaurii minoris, lapides cancrorum in vino soluti, corallia, C. C. U. salia volatilia, ita ut secundum præscriptionem III. PRÆS. spiritus C. C. cum alcalicis fixis, v. g. tinct. Antimon. vel salis tartar. æquali pondere remixtus porrigatur, & quæ sunt alia.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Cum in hoc morbo uber etiam sit flatuum proventus, qui non tantum ægro multas creant molestias sed etiam morbum ipsum exasperare solent, hinc expedit, subinde clysmatica injectione intestina eluere, flatuumque discussionem & excretionem promoveri. Ejusmodi clysteres ex sequentibus speciebus, quæ simul etiam canalis hujus alimentaris partibus tonum conciliant, parentur, ut sunt radix levistici, angelicæ, enulæ, herba rutæ, card. benedicti, scordii, summitates centaurei minoris, flores chamomillæ romanæ, baccæ lauri, juniperi, semina quatuor carminativa seu calida majora, anisi, carvi, fœniculi, cumini. Coquantur in vini & aquæ, vel etiam urinæ humanæ dimidio, & pro re nata pauxillum salis gemmæ adjiciatur.

§. XXXV.

Consultum est etiam per urinarias vias serosam colluviem educere. Laudabiles hunc in finem præstant operas decocta. Hujus census est decoctum, quod confit ex L. junip. lentisc. radice pareiræ bravæ, apii hortens. apii hortensis latifolii, fellery dicti. Potest addi tertia pars vini mosellani, ceu vini diurectici.

§. XXXVI.

Quæstio oritur, num in hydrope nostro *emetico- rum* usus conveniat? prostant enim observationes, anotericas evacuationes hydropicis multum utilitatis attulisse. Conceduntur, si in subjecto vomitum contra-indicantia desunt; deinde ratione emeticorum habeatur selectus, missis minus tutis. Inter tutiora sunt *tartar. emeticus*, qui cum extracto *panchymagogo* CROLLII misceri potest. Et sic aquæ *ava* & *navo* eve-

evehuntur. Si vero methodus medendi jamjam indicata rem expediat, emesi superfedere possumus.

§. XXXVII.

Supereft *dieta* hydropicorum. Datur *diæta* cuius morbo propria. Recte & scite GALENVS convenientem & appropriatum victum inter curandorum morborum instrumenta reponit. Secta *diætica* olim solis victus auxiliis morbos debellare putabat; sed hoc de paucissimis sane! morbis valet. HELMONTIVS quidem *diætæ* in hydrope commendationem criminatur & arti & medicis ignominiosam, & supervacuam: sed nescit medicina rationalis perverse sentientibus ad sensum præbere. In genere hydropticis nostris commendatur *diætæ* euchyly. Vescantur carnibus potius assis, quam coctis. Xerophagia vulgo eis commendatur, humida autem taxantur, sed discrete admodum hæc explicanda sunt. Improbantur ea, quæ flatuum proventui favent, sive sint esculenta, sive potulenta. Adferit quidem SCHENCKIVS, hydropem sola abstinentia a potu fugatum esse, sed quot causarum fallaciæ hic contingere solent? Interim ab humiditate frigida & calida cavere sibi debent. Contra salubris ipsis est aer temperate calidus & siccus. Commodat vectura in junioribus, imo equitatio, ob motum succussatorium, imminuto nimirum tumore. Et cum hydropici juventur a diureticis, ut supra dictum, hinc in usum cibarium cedant radices esculentæ, vias urinarias blande stimulantés, ut sunt radices scorzonæræ, fífarí, petroseliní, pastinacæ, asparagi turiones &c. tandem vini mosellani bonæ notæ, ceu vini diuretici usus commendari meretur.


T A N T V M.

in-
ui-
n-
lo-
te-
ta-
let.
en-
m,
er-
ny-
an-
gia
fed
an-
cu-
VS,
fed
te-
nt.
us.
ob
re.
di-
en-
ces
tu-
ini

ULB Halle 3
000 912 00X





B.I.G.

Farbkarte #13

106

40 89 609 3

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
HYDROPE
NON SEMPER MEDICORVM
SCANDALO

QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO ET CONSENSV AC AVCTORITATE
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXPERIENTISSIMO EXCELLENTISSIMO
DN. JOANNE IYNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMOVE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO, ORPHANOTROPHEI HALENSIS
ET PAEDAGOGII REGII PRACTICO
DECANO H. T. SPECTATISSIMO

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO AETERNVM
DEVENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CAPESSENDIS

AD D. NOVEMBR. A. S. R. MDCCXLVI.

H. L. Q. C.

PVBLICO ET PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR

FRIDERICVS AVGVSTVS GIESSCKE
HALENSIS MAGDEBVRGICVS.

Libr. XXVII/4622

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

Jenches